

— 3) *Dominus noster Theodosius et domina nostra Eudocia sine dubio sunt imperator Orientis Theodosius iunior et coniunx eius Eudocia; d. n. Arcadius et d. n. Eudoxia vix sunt ii qui antea Constantinopoli regnaverunt, ii enim supra inter imperatores defunctos enumerari debuerunt, et enumeratur ibi Arcadius, sed videntur esse Theodosii iunioris liberi, ex quibus Arcadius sine dubio infans defunctus raro memoratur, sed tamen memoratur in carmine in codicibus nonnullis praemisso centoni Probae (Schenkl, poetae christiani minores I p. 568 cf. p. 545; cf. etiam Teuffel Lit.<sup>5</sup> § 422, 5; nam quod credunt illo carmine appellari non Theodosium imperatorem, sed patrem eius Arcadium, et nomine Arcadii minoris significari ipsum Theodosium nondum natum, id plane incredibile est), Eudoxia eadem est quae nupsit Valentiniano III a. 437.*

### 819 Theodosius pater Eudocia cum coniuge votum cumque suo supplex Eudoxia nomine<sup>1</sup> solvit.

*Romae in ecclesiae S. Petri in vinculis: servavit codex Laureshamensis (nunc Vaticano-Palatinus) saec. IX (de Rossi inscr. chr. 2, 1 p. 110, 66). — Intelleguntur Theodosius iunior et Eudocia coniunx eius (cf. supra N. 818, 5) eorumque filia Eudoxia. Inscriptio facta sine dubio iussu Eudoxiae — nam Theodosius et Eudocia Romam non viderunt — post nuptias factas cum Valentiniano III (a. 437), fortasse non multum post nuptias, cum anno 439 vel 440 Romae moraretur (cf. Monsacrato de catenis S. Petri p. XXI). Votum memoratum v. 1 num sit votum Eudociae narratum a Socrate hist. eccl. 7, 47 (ut voluit Monsacratus), non diiudico. — 1) Non intellego; fortasse scr. coniuge, ut intellegatur Valentinianus III.*

## Tituli imperatorum Constantinopolitani.

### 820 Fortune | reduci ob | devictos Gothos.<sup>1</sup>

*Constantinopoli in basi columnae (III 753 descr. Mordtmann). — 1) Significari victoriam Constantini de Gothis et reditum imperatoris in urbem a. 352 exposuit Mommsen l. c.*

### 821

#### 1.

difficilis quondam, dominis parere serenis  
iussus et extinctis palmam portare tyrannis<sup>1</sup> —  
omnia Theodosio cedunt subolique perenni —  
ter denis sic victus ego domitusque diebus  
iudice sub (Proclo)<sup>2</sup> superas elatus ad auras.

#### 2.

κίονα τετράπλευρον, ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἄχθος,  
μῦθος ἀναστῆσαι Θεωδόσιος βασιλεὺς  
τολμήσας (Πρόκλος)<sup>2</sup> ἐπεκέλευτο· καὶ τόσος ἔστη  
κίον ἡέλιος ἐν τριάκοντα δύο.

*Constantinopoli, in basi obelisci qui extat in hippodromo Turcis dicto Atmeidan (III 757 descr. Mordtmann). Erectus est obeliscus in circo Constantinopolitano a. 390, teste Marcellino chron. — 1) Intelleguntur Maximus et Victor (cf. supra N. 787—789) paullo ante a. 390 victi. — 2) Nomen Procli in utroque carmine erasum est et postea restitutum. Illud factum est anno 392 quo anno Proclus,*